

bellicus historiam scribebat suam, (a) asservabantur; Senatus vero consultum exstat in eodem *Regesto* pag. 39.

(a) *Pag. 43.  
novis. huj.  
edit.*

„ 1468. die 2. Maji in Rogatis.

„ Conveniens est, ut oblatio & munus factum Dominio nostro per Reverendiss. D. Cardinalem Nicenum amicissimum & studiofissimum Status nostri, de tam praeclara Bibliotheca, honoretur, & dicti libri collocentur in loco, ut sit ad ornamentum tam dignae Bibliothecae. Et proinde cum nullus locus sit aptior & ex desiderio praefati D. Cardinalis convenientior, quam in sala novissima palatii nostri: Vadit pars, quod auctoritate hujus Consilii dicta sala novissima palatii nostri deputetur pro dicta Bibliotheca, quae aptari & commodari debeat, sicuti & quemadmodum videbitur juxta exigentiam rei.

„ Pro parte ——— 135

„ De non ——— 14

„ Non sinceri ——— 2

At cum intra mensem aprilis anni M.CCCC.LXVIII. allati essent Venetas codices universi, quoniam, ut tutius & decentius deveherentur, advenerat simul praefectus domui ejusdem Cardinalis, huic a Patribus (b) quadringentorum aureorum munus decretum est.

(b) *Ex eod.  
Regesto. p.  
40.*

„ 1469. die 21. Aprilis in Rogatis.

„ Quod attento memoriale & dignissimo munere facto ecclesiae S. Marci per Reverendiss. D. Cardinalem Nicenum de tot pulcherrimis & nobilissimis voluminibus in utraque lingua, ut a Domino nostro utatur condigna liberalitas erga nuncium praefati D. Cardinalis, qui est primus homo domus suae, respectu tum dignitatis dicti D. Cardinalis, tum etiam expensarum factarum in conducendis dictis libris cum 15. mulis & famulis:

„ Vadit pars, quod pro honore nostri Domini dentur dono dicto numero ducati 400. de quibuscumque pecuniis nostri Domini.

„ De parte ——— 141.

„ De non ——— 15.

„ Non sinceri ——— 0.

Cum vero locus ubi tum seposita erant ea volumina, importunior esset, furtisque obnoxius, visum est commodiorem tutioremque alium parare. X. igitur kal. augustas anni M.CCCC.LXXIII. Patres consulerunt (c), ut singulis mensibus rei salariae Quatuorviri quinquagenos aureos nummos d. Marci Procuratoribus erogarent ad bibliothecam nouam construendam; atque ut iudicem Procuratores ejus constructionis curam haberent. Id tamen opus ne perficeretur, prohibuisse puto bella quae annis proximis Rempublicam divexarunt. Compertum vero mihi est, jam ex eo tempore bibliothecae curam uni ex Procuratorum d. Marci collegio esse demandatam, in quibus olim fuit Marcus Barbaricus, quo evecto ad patriae principatum anno M.CCCC. LXXXV. munus id ambivit Zacharias Barbarus (d), Eques & Procurator; at ipsi praelatus est Augustinus Barbaricus, Marci frater, cui tunc etiam in procuratoria dignitate, ac demum in principatu suffectus est. Igitur Sabellicus, cui jam credita erat bibliothecae custodia, exstructionem loci Marco Duci commendat, ubi decentius illa esset. Itaque VIII.

(c) *Ibid. p.  
42.*

idus

(d) *Hermol.  
Barb. epist.  
mss. 1. 5. p.  
93.*